

INDICATIONS

31 JUL 1910

AND HOW TO DO IT

OF THE

VI R O

MAKING REVIEWS

BY CAR. CHRISTIANO

WOOD

AT THE UNIVERSITY OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.



STAMPED

ON JULY 31 1910

BY THE

LIBRARIAN

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO

CHICAGO, ILL.

LIBRARY

OF THE

UNIVERSITY

OF CHICAGO



Silendi tempus nunc non esse censemus,
etiamsi de *silentio* meditari occasione
et scopo huius scriptionis non male
convenire existimemus. Ipse etenim,
VIR MAXIME REVERENDE, uti nobis mittendi
existis causa silentii: ita et de silentio differendi ar-
gumentum nos ex ipsis vitae TVAE, quam in prae-
senti agis, momentis arripimus. Nec TIBI grave
fore credimus, id si tangamus, quod, praeter TVA
vota opinionemque, TIBI oneris imposuit Numen
sapientissimum, quod, uti ex ore infantium et la-
etentium sibi laudem perficit: ita et disertissimos
A 2 virtute

virtute exiit, in utroque tamen actu sanctum cen-
sendum atque mirabile. Summa cum voluptate
meminimus, scriptisque etiam consignatum legi-
mus, quo sermonis flumine, quantaque cum facun-
dia, per plus quam quadraginta sacri muneris an-
nos, coram concione, diversis in locis TIBI concre-
dita, quondam magnalia Dei eloquutus fueris, et
quid magis vellemus, quam TE adhucdum audire
publice docentem. At vero et nos decet, TECUM
venerari summum Numen, cui visum fuit, pro con-
cione dicendi facultatem TIBI quidem adimere, TE
tamen esse superstitem doctorem, qui *in silentio et
spe* obedientiam continuam Deo praestare, lauda-
bili exemplo, institueres. Stante sic sententia DE
SILENTIO loquemur, omnem huius argumen-
ti rem ita exposituri, ut ad morum doctrinam illud
potissimum expendamus. TIBI vero ne displiceat
nostra meditandi ratio valde rogamus atque obte-
stamur.

Nobis,



Nobis, DE SILENTIO acturis, nec in rei laudes solum excurrere, nec etiam in vituperium calamum stringere, mens est: utrumque tamen fieri debebit, ex diversa rei, vel ad usum, vel ad abusum, declinantis consideratione; idque ut eo fiat commodius, *ad morum doctrinam omnem argumenti copiam ponderabimus.*

Vt ordo in dicendis fervetur, ea in classes suas dispescere per-esse videtur necessarium.

SECTIO I.

De Silentio naturali.

NATURAE ordinem sequentes, id genus silentii *primum* esse credimus, quod ex causis provenit naturalibus, et ex eo naturale dici consuevit.

1) infantium. Tale est in *infantibus*, quorum silentium vel ipsa statim prodit appellatio, ex inertia fandi quippe derivata: quo sensu

Horatius ⁽¹⁾ statuas nominat infantes, i. e. mutas. Quumque silentium infantibus tum ex inertia, organis ad loquelam constructis recte utendi, tum ex inscitia, res obvias denominandi, proveniat, ideoque et exercitio, et rerum cognitione, ex usu demum acquirenda, opus sit, ad sermonem edendum, rectissime pro ostento habetur, si loquatur infans; quod contigisse memorat Herodotus, cum Croesi filio, malo quidem indicio, fore, ut regnum patris domusque funditus concidat. ⁽²⁾ Infans itaque vi vocis est, qui loqui nequit. Sic et semel iterumque Ciceroni infantia est, si quis facultate careat, res dicendo satis explicandi, vel verborum ordinem et modum servandi: immo, quosdam sermonis alieni interpretes, negotio non satis pares, nominat infantissimos. ⁽³⁾ At vero quod nobis in parvulis, ex naturae ratione, infantia est, id quidem ex iudicio Numinis, abscondita cordis pernoscentis, magna est laudis ipsius celebritas. Plus etenim infantia piorum, fidem suam in promissionibus divinis reponentium, facit ad gloriam Numinis, quam facundia sapientum, de cognitione sua, Gnosticorum more, gloriantium: ideoque saepe monet optimus salutis nostrae assertor, redeundum esse ad infantiam, si quis dignus haberi velit, cui regni coelestis aperiantur mysteria, verbis nunquam satis explicanda, et, vel facundissimo, ineffabilia, fideque simplici tenenda. Hoc disciplina memorabili edoctus Zacharias, sacerdos, qui, quum sibi senilem aetatem agenti, ex uxore, aequae vetula, filium suscepturo, incredibilia nunciari putaret, adempta extemplo
fandi

⁽¹⁾ *Serm. L. II. Sat. V. v. 40.*

⁽²⁾ *conf. Cic. de divinat. L. I.*

⁽³⁾ *Cic. Rhetor. L. II. ad Herennium.*

fandi facultate, filens mutusque expectare promissionem iuebatur, ut organa sermoni inservientia, hac castigatione, quasi sanctiores redderentur, ad efferenda Dei magnalia, sicut ager ex quiete habilior evadit, ad fruges proferendum uberiores.

2) mutorum. Pertriste vero silentium est *adulorum*, quibus loquendi facultas plane negata est, quod ubi videmus, nos admonitos credamus, quantum fit in recto linguae usu repositum beneficium, idque ita adhibendum, ut non solum societas humana iuvetur; sed etiam regnum Dei amplificetur. An vero, et quomodo eiusmodi miseris auxilium ferri queat, contra Aristotelem, Scaligerum et Molinaeum, curam talium pernegantes, alii laudabiliter investigarunt, exemplisque non paucis comprobarunt, quorum celeberrimus meminit *Morhofius* in peculiari tractatu, quem inscripsit *Stentor Hyaloclastes*.⁽¹⁾ Interim eos, quibus tale imposuit silentium summum Numen, id manet solatii, quod singulari gaudere queant privilegio, quo, communi lege, eos donavit summus rerum arbiter, imperando loquentibus, ut mutorum rebus studiosissime subveniant.

3) vi externa Silentium etiam *vi* fieri non tacendum esse existimamus, intercepta quippe facultate loquendi, ex stupore, vel metu, vel luctu. Pereleganter tale descripsit silentium *Ovidius* in lugente *Hecuba* conspicuum:

. . . . obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lacrimasque introrsus obortas

Devo.

(¹) c. XV. p. 280. sq. conf. idem *Morhofius* in *Polyhist.* Tom. I. Lib. II. c. III. p. 342.

*Devorat ipse dolor, duroque simillima saxo
Torpet.* ⁽¹⁾

Idemque Nioben in lapidem conversam esse ait, idque, ut Cicero putat, propter aeternum in luctu silentium. ⁽²⁾

Eodem plane modo Homerus nobis sistit Antilochum, de morte Patrocli lugentem:

- Ἀντίλοχος δὲ κατέσυχε, μῦθον ἀκέσας
Δὴν δὲ μὲν ἀμφασίη ἐπέων λάβε· τὰ δὲ οἱ ὄσσε
Δακρυόφιν πλήθειεν, θαλερῆ δὲ οἱ ἔχετο φωνή.

Antilochus autem horrore correptus est, sermone audito: Diu vero eum inopia vocis tenuit; eique oculi lacrimis impleti sunt, liquidaque ei haesit vox. ⁽³⁾

His exacte respondet illud Virgilianum, tum de Aenea, tum de Turno, tum de Polydoro dictum: *Vox faucibus haesit.*

Nec aliunde duci debere puto silentium septiduanum amicorum Jobi, quippe qui ex magnitudine afflictionis, qua correptum videbant Jobum, sapienter iudicabant, medicinam in principio non aptiorem adhiberi posse, quam quietem et silentium. ⁽⁴⁾

S E C T I O II.

De Silentio morali.

MORALE in actionibus humanis dicitur omne id, quod ex fonte morum profluit, et vel mentis virtutem, vel vitium, prodit, ideo-

⁽¹⁾ *Metam. L. XIII.*
edit. Hageri p. 636.

⁽²⁾ *Tuscul. Quaest. L. III.*
⁽⁴⁾ *Jobi C. II. 13.*

⁽³⁾ *Iliad. P.*

ideoque agenti, vel in laudem, vel in vituperium cedit. Ex hoc principio silentium nunc considerandum, vel iustum, vel iniustum, censebitur.

I. *Silentium ex capite iusti.*

1) disciplinae *f. obsequii.* Vt et hic ordinem naturae, quoad eius fieri potest, sequamur, primum silentii genus esto, quod *ex disciplina vel obedientia oritur.* Huiusmodi erat illud, quod Pythagoras disciplinae suae alumnis, per quinque plerumque annos imperabat, ἐχεμυθία, a cohibendo sermone, dictum. His primis annis in scholam Pythagoricam adsciti omni percunctandi licentia, si vel quid etiam parum intellexissent, abstinere iuebantur, ad solum auscultandi assiduitatem obstricti, exinde ἀκροαστοὶ dicti. Rigor huius disciplinae notam ambitionis magistri, dolique, effugere non potuit, id quod, praeter alios, argute aequae ac solide evicit magnus in omni historia Jo. David Koeler in dissert. de Paedantismo Didactico Pythagorae, ratione silentii. Interim negandum non est, silentium discentes, dummodo modus servetur, et decere, et iuvare. Primum enim, ut Apuleius inquit, sapientiae rudimentum est, *meditari condiscere, loquitari dediscere.*

Quanto cum rigore, nec sine commodo, obsequii silentium etiam in disciplina militari observetur, in vulgus notum est.

2) prudentialae. Huic subiungimus *silentium prudentiae.* Eo spectant verba Salomonis, *et tempus tacendi, et tempus loquendi constituentis.*⁽¹⁾ Vtriusque vero temporis momentum definire debet prudentia. Interim non inficiandum est, silentium esse tutius exi-

B

stima-

(¹) *Cobel. III. 7.*

stimulationis tuendae remedium, quam loquacitatem, iuxta vulgatum illud: *Si tacuisses, Philosophus mansisses.* Iplis enim insipientibus usu venire silentium itidem perhibet Salomo. *Stultus quoque, inquit, si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia sua, intelligens.* ⁽¹⁾ Argute, pro more suo, hanc veritatem inculcat Schuppius. ⁽²⁾ Ita vero ille, sermone ejus in latinum verso: In academiis Professores constitutos novimus, qui eloquendi artem iuvenes doceant: e re quoque esset publica, si alerentur Professores, artem tacendi edocentes. Addit verba latina: Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. Res magnae ab eo peragi nequeunt, cui tacere poena est. Et pergit germanicis verbis: Fertur, olim legatum in Graecia commorantem accessisse quosdam Philosophos, quorum quisque, ad ostentandam sapientiam, omnem scientiarum copiam satis garrulus effuderit, uno solo ex iis perpetuum silentium servante; ad quem conversus legatus: Ex te vero quid, quaerit, audisse Domino meo referam? cui Philosophus: *Dic regi tuo, te vidisse in Graecia virum, qui tacere potuerit.*

3) patientiae. Succedat *silentium patientiae*, Aaronis, Davidis, aliorumque piorum exemplis commendatum et comprobatum. Maiora enim et sanctiora his duumviris nulla unquam consignarunt historiarum monumenta. Illo duobus filiis, uno irati Numinis ictu, praeter opinionem, orbato; hoc vero afflictionibus fere innumeris ita fracto, ut, quid diceret, neuter auderet. Ille, imo dolore correptus, plane obmutuit; ⁽³⁾ hic vero silentium spondit et praestitit: Dixi, inquit, observabo vias meas, ne peccem lingua mea: custodiam os meum clausura, quandiu impius fuerit coram

⁽¹⁾ *Prov. XVII, 28.*

⁽²⁾ im Regenten-Spiegel, Salomo betitult.

⁽³⁾ *Levit. X, 3.*

coram me. Obmutui (prae) silentio, tacui a bono, et dolor meus turbatus est. (Instar videlicet aquae commotione turbida factae.) Obmutui, non aperui os meum, quia tu fecisti. ⁽¹⁾ Conferantur etiam Lament. II, 10. Jes. XLVII, 5.

4) officiosum. De silentio nunc dicemus *officioso*. Officiosum vero nobis dicitur omne studium, quo muneris cuiusque publici, in salutem societatis humanae constituti, partes expleri curantur. Hos inter, qui universae hominum saluti omne officium studiumque impendere tenentur, numerari potissimum gregis Deo collecti pastores, quos ecclesiae ministros vocare solemus, sponte mihi dabitur. Quantum vero salutis hominum interfit, angoribus conscientiae liberari, absque periculo famae, poenamque incurrendi ignominiosam, facile intelligitur: id vero effici fideli silentio, quod praestet ecclesiae administer, si ipsi criminis cuiusdam facta fuerit ingenua confessio, quis est, qui non videat? Hoc dici consuevit *sigillum confessionis*. Multum super hac re disputatur, quod hic referre non attinet. Ne vero sicco pede omnia transeamus, potiora, quae ad silentii huius commendationem, aequae ac cautionem, in eo adhibendam, pertinere videntur, strictim attingemus. Axiomatis loco hic poni posse putamus. Quicquid Deus in negotio conscientiae tranquillandae, nobiscum agit; id etiam decere ministrum, Domini vices exsequentem. Tantum vero abest, quae concludendi ratio est Jo. Lud. Hartmanni, ⁽²⁾ ut Deus peccata, vel gravissima, hominis ingenue fatentis, et ex animo desilentis, revelet, ut potius ea tegat, Ps. XXXII, 1. Rom. IV, 7. 8. deleat,

B 2

Jes.

⁽¹⁾ Ps. XXXIX, 2. 3. 10. ex nova translatione in Bibliis à Vatablo editis.

⁽²⁾ in Pastoralis Evang, L. III. c. 36. p. 737.

Jes. XLIV, 21. longissime removeat, Pf. CIII, 12. in profundum maris demergat, Mich. VII, 19. post tergum proiciat, Jes. XXXIX, 17. quasi in sacco signet vel sigillet, Job. XIV, 17. Quae vero Deus tegit, abscondit, signat et sigillat, minister Dei detegere, revelare et resignare non debet. Nec tamen omnino omnem commendabile hoc silentium respuit exceptionem, ne salutis unius, eiusque maligni, postponi videatur salus plurium, eorumque bonorum, immo, totius reipublicae. Virtus enim esse definit silentium, quod in damnum alterius cuiuscunque, potissimum innocentis, conspirare videtur: id quod futurum esset, si atrocitas facta, ex quibus salutis publicae periculum immineat, intempestivo silentio celarentur, et sub silentio instar lolii, quod extirpandum erat, adolescerent. Prolixiores tamen plerumque difficilioresque, in hoc casu evolvendo, esse videntur Theologiae Casuisticae doctores, atrocissimorum facinorum confessionem nescio, an fingentes, an vere factam, evincentes. Veri enim simile mihi non videtur, quod quis grande facinus meditans illud sit passurus, animo propositi adhuc tenaci: quin potius existimem, id, si fiat, fieri animo propositi serio poenitente, illudque retractante, et sic facilis est decisio, talem et silentium, et veniam, mereri: Sin vero sermo sit de crimine iam commisso, cuius adhuc auctor ignoratus fuit, tum, puto, dispiciendum esse, inquirendumque, an tale crimen alteri cuiquam damnum intulerit, nec ne? Posterius si sit, professionem criminis, ex angore conscientiae, solamen fitientis, profectam, gratiam mereri censeo: Prius si factum fuerit, reparationem damni, quod alter passus est, si adhuc superstes sit, vel, si et in alios superstites redundarit, quovis modo suadendam esse exposcendamque,

que, existimo. Sin vero adhuc damnum imminet alteri cuivis, vel iam patiatur iniuriam immeritus, id ut avertatur, serio urgendum esse, facile intelligitur, ideoque reum, crimenque confitentem, eo adigendum, ut, divinae castigationi obsequens, vel ipse revelet magistratui, cuius est iustitiam administrare, vel, ut revelari sinat. Si neutrum velit, tum ipsi, tanquam iniustitiae temere inhaerenti, significandum, quod clavis solventis beneficio gaudere nequeat: Si nec hoc quid apud eum valeat, Dannhaueri ⁽¹⁾ iudicium locum habere puto, *quod iam potior unitatis, quam unius, cura esse debeat, nec ullum in lege divina sigillum esse, quod in hoc casu ori imprimi possit.*

Eodem filendi officio, cum fidelitate servando, donec id negotia publica exposcunt, tenentur omnes ii, quibus a secretis nomen est impositum.

5) pium et amicum. Tandem etiam aliquid dicendum erit de *silentio pio et amico.* Quemadmodum enim amicus secreta interdum in alterius sinum effundit, non, ut in publicum promanent, sed ut oneris partem deponat, consilioque levetur: ita et alter fideliter sibi commissa servet, necesse est, nec instar vasis rimarum pleni, ceu apud Terentium dicitur, hac et illac debet perfluere. Nobile huiusmodi silentii exemplum edidit Iosephus, Mariam sibi desponsatam, eamque, quum gravidam esse cognosset, de castitate non probe servata suspectam publico iudicio, accusatione, ex capite *ζηλοτυπίας* facta, nolens *παράδειγματίσαι*, sive ignominiae exponere, pio maluit silentio, quod aegre ferebat, comprimere, aliumque mitiorem, quam iustitiae rigor aperiret, viam inire, qua vinculo posset libera-

B 3

ri.

(1) *In Hodomor. spiritus papaei Phantasm. 6. Antinom. 8. p. 1456.*

ri. Idque animo secum volutasse dicitur, quia δίκαιος erat, i. e. probus, aequus et mitis, id quod probe perspexit Lutherus, vocabulo *fromm* hoc loco usus, quam vocis δίκαιος notionem, pietatis vel aequitatis et lenitatis voce efferendam, usuique auctorum graecorum non repugnantem, studiose vindicavit Georgius in Vindiciis N. T. ab Ebraïsmis p. 39. sq.

His exemplis silentium, virtutem, et rem omnino iustam, comprobasse sufficiat.

II. Silentium ex capite iniusti consideratum.

1) *intempestivum.* Qua vero ratione fit iniustum, nunc ostendemus. Primum huius generis silentium esto, quo quis officii sui partes deserit, et sic *intempestivo silentio* ad iniustitiam declinat. Vbi enim loquendi tempus erat, silendum non est, quo vel cunque quis fungatur officio. Quanta vero oris animique alacritate et confidentia proloqui debeant verbi divini praecones mandata sibi commissa, omni ἀνθρώπων παρεσκευασία seposita, ex Jes. LVIII, 1. discimus, ubi ita ad prophetam Dominus: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Quod qui officium defugiunt, canes muti dicuntur, non valentes latrare, cap. LVI, 10.

Alienissimi ab hoc vitio erant Apostoli, a quibus nullo modo impetrari poterat, ut cessarent loqui et docere, in nomine Jesu. Omni interdicto, et graviter, et modeste, opponebant suam de veritate convictionem, et ministerii partes, et obsequium summo Numini praestandum. An apud Deum iustum sit, inquirunt, vobis

bis

bis potius obedire, quam Deo, iudicate ipsi. Non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui. Act. IV, 19. 20.

Contra, intempestivi silentii culpam in se derivant iudices in dicendo iure segniores. Graviter hos Davides invehitur: Num vere muti estis, inquit, loqui iustitiam et recte iudicare, o filii hominum. Ps. LVIII, 2. Eandem iniustitiae notam sibi inurunt, qui silentes malitiae patrocinantur, lucro ex iniquitate inhiantes, et ad flagitia, quae ipsi saepe parant promoventque, reticenda turpissimo redempti precio, *venale praestant silentium*, quae dictio occurrit l. 7. C. Theod. de iure fisci.

2) dolosum. Aliud, idque scelestissimum, genus silentii est, quod *dolosum* dicemus, ideo, quod malis artibus tectum, atque praemeditatione conceptum, in fraudem dolumque alterius tacite adolescit. Huc potissimum id artis referendum est, quo sermonibus ambiguis obvolvi et supprimi solet veritas: *reservatio mentalis* dicitur, in qua saepe etiam iurantes malae causae operculum, atque conscientiae sauciatae medicamen inveniri, sibi persuadent, nil curantes, quod sic non hominibus, sed Deo ipsi, ima cordis perscrutanti, petulantissime mentiantur. Quam hominum temeritatem Tertullianus recte appellat *methodum diaboli*. Eiusmodi technis uti homines a sensu religionis, et a vera Numinis cognitione, alienissimos, mirum adeo non est: tanto vero magis mirandum, quod, qui OMNIA AD MAJOREM DEI GLORIAM facere haberi volunt, ex observationibus mentalibus, aequivocationibus atque amphibologiis omnes suos contexunt sermones, ut contra fidem agentes paratum sibi habeant refugium, id quod publicis tueri audent scriptis Toletus, Navarrus, Scarezius, alijque complures, qui

in

in casibus conscientiae decidendis, sub *Moralistarum* et *Probabilistarum* nomine veniunt, immo, Theologiae christianae scriptores haberi volunt, quos scriptum iussu REGIS LUSITANICI, (Quem Deus singularis suae providentiae exemplum constituit, et porro protegere velit) recentissime editum excitat, in quo, omnem Machiavelli pravitatem a Jesuitis propagari, animisque malignis implantari, evincitur. ⁽¹⁾ Id quod olim quoque evictum dedit Mart. Chemnitius in *Idea Theologiae Jesuiticae*, ex praecipuis censurae ipsorum capitibus Coloniae, anno 1560. in lucem editae desumpta. ⁽²⁾

3) coactum. Ad tertium genus silentii devenimus, idque, *externa vi coactum extortumque*, pro legitimo habendum non est. Coactum vero silentium non est confundendum cum eo, quod disciplinae et obsequii esse supra diximus. Hoc enim, ex lege aequitatis et utilitatis, voluntarium fit, necesse est: illud vero, de quo nunc est sermo, nunquam est voluntatis, etiamsi ex aliis rationibus fiat necessitatis. Casus, quem perspicuitatis ergo ponimus, hic est. Fac, fiat, ut quis viator inter latrones delabatur, quorum interest, ne detegantur. Si itaque fiat, ut viatorem, male habitum, salva tamen vita dimissum, adigant ad promissionem iureiurando firmandam, ne eos prodat: quaeritur, an data fides, quam iuratus confirmavit viator, eum obliget ad promissum servandum?

Non

(¹) *Conf.* die gottlosen und aufrührischen Irrthümer der Geistlichen von der Gesellschaft Jesu, nebst ihrer Widerlegung aus den geistlichen und weltlichen Rechten. Aus dem Portugisischen übersetzt.

(²) *Liber extat sub titulo:* Abbildung der Jesuiter-Theologie.

Non accedimus illis, qui statim ad πολυθύλλητον illud confugiunt: *Gezwungen Eyd ist Gott leid.* Nam non omne iusiurandum, vi metuque vitae perdendae extortum, statim est negligendum. Si etenim res praestanda rerum modo terrenarum damnum inferat, e. g. summam pecuniae latronibus promissae, potior omnino tibi esse debet nominis divini, quo invocato fidem iuratus dedisti, praestantia, quam pecuniae iactura, quippe qua, et iusta quidem optione, etiam vitam redemisti. Quod vero ad silentium promissum attinet, paulo aliter sentiendum putamus, quum hic alterius periclitantis, et securitatis publicae habenda sit ratio, cuius omnino interest, ne silentio alatur et confirmetur praedonum improbitas. Hinc si vel tenerae conscientiae consuli debeat, hac forsitan ratione fiet, ut reticeatur iniuria sibi a latronibus illata, quod ad speciem spectat; interim generatim rem manifestari posse credimus, hoc est: Magistratus in genere moneri potest, ut vigilet, inque id incumbat, ut provincia malis hominibus, quos hinc inde grassari, furari, praedari certum sit et exploratum, expurgetur, et viae publicae tutae conserventur. Quod est consilium D. Schmuc. a Gerharo citati in LL. Theol. Tom. III. p. 53. b.

SECTIO III.

De Silentio politico.

SILENTIUM, quod nititur rationibus ad rem publicam, sive civitatem, spectantibus, nobis dicitur *politicum*.

¹⁾ patribus pur- Hic locum meretur omnino mos iste, qui adhuc
puratis imperatum. dum in aula Pontificis Romani obtinet, cum Patri-

C

bus

bus ad purpuram evectis, primumque in sacro confessu, Consistorium quod vocant, comparentibus, *os a Pontifice obsignatur*. Hocce ritu, qui inter Patres purpuratos noviter receptus est, prohibetur dicere, vel sententiam ferre in sacris conventibus, donec ipsi oris fiat resignatio, quae plerumque fieri solet in altero vel tertio confessu. Tum praemissa admonitione, quomodo se gerere debeat sacri collegii novus sodalis, his Pontifex verbis ritum concessae dicendi potestatis peragit: Potestatem tibi, inquit, concedimus dicendi atque consulendi in conventibus, consiliis, Pontificum electionibus, et quibuscunque aliis negotiis, intra confessus Patrum, et extra eos, immo, in omnibus, quae Purpuratis conveniunt, in nomine Dei Patris, et Filii, & Spiritus Sancti. ⁽¹⁾

2) Silentiariorum. Ex politico silentio nomen quoque natum est *Silentiariorum*, quorum fit mentio in utroque codice, Theodosiano et Justiniano, tit. de Silentariis et Decurionibus eorum. Munus eorum, quod, et quale fuerit, his quidem locis non descriptum, admodum tamen fuisse honorificum, ex privilegiis, quibus donantur, et honorum titulis, *Virorum Clarissimorum Devotissimorumque*, quibus ornantur, satis patescit: et plenior affundit lucem lex Imperatoris Anastasii, ubi eorum his verbis fit mentio: *Viros clarissimos, sacri nostri palatii Silentarios, circa latus nostrum militantes, de tutelis et curationibus excusari sancimus*. ⁽²⁾ Cuncta vero, quae ad hos muneris publici ministros cognoscendos pertinere videntur, diligenter collegit *Bern. Frid. Rud. Laubn* in Dissert. sua inaugur. cui titulum fecit: *Florum sparsio ad rubrum tituli Cod.*

(1) *Conf. Europ. Fama* im 53. Th. p. 322.

(2) *l. 25. C. de excusat. tutorum.*

Cod. Theodosiani et Justiniani de Silentariis et Decurionibus eorum.

3) magistratum. Venimus ad silentium aeque politicum, quod fervare decet viros magistratus munere fungentes, aliosque secretarum rerum conscios, ad tabularia Principum admissos, et sacramento fidelitatis obstrictos. Non enim expedit, consilia de rebus arduis, priusquam maturescant et in actum deducantur, divulgare. Non solum prudentiae est eiusmodi reticentia, sed etiam necessitatis, si cogites damnum, quod secretorum proditio, vel ex imprudentia, vel ex largitionibus acceptis profecta, imperantibus saepiuscule, totisque rebus publicis, attulit. Dignissima ergo observatu vox est: Arcana regis celare, bonum est, Tob. XII, 7. quod apud Tacitum ita effertur: Abditos Principis sensus exquirere illicitum. ⁽¹⁾ Summam silentii laudem, quam Persae sibi peperere, exquisitis verbis ita adstruxit Curtius: ⁽²⁾ Arcana regum mira celant fide. Non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta. Vetus disciplina regum silentium vitae periculo sanxerat: lingua gravius castigatur, quam ullum probrum; nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave fit. Plura huius argumenti ad hunc locum contulit diligentissimus Freishemius in suis commentariis.

Non possum, quin prae aliis hic commemorem exemplum pueri illius Romani, Papyrii, qui ex silentio immortale sibi nomen paravit. Rem et lepidam, et memoria dignam, ex A. Gellio ⁽³⁾ hic

C 2

re-

⁽¹⁾ *Annal. L. VI. c. 8.*

⁽²⁾ *de rebus Alexandri L. IV, c. 6.*

⁽³⁾ *Noct. Att. L. I. c. 23.*

referre iuvat. „ Mos, inquit ille, antea Senatoribus Romae fuit,
 „ in curiam cum praetextatis filiis introire. Tamen cum in sena-
 „ tu res maior quaequam consultata, eaque in diem posterum prola-
 „ ta est, placuitque, ut hanc rem, super qua tractavissent, ne quis
 „ enuntiaret, prius quam decreta esset: mater Papyrii pueri, qui
 „ cum parente suo in curia fuerat, percunctatur filium, quidnam
 „ in senatu patres egissent; puer respondit, tacendum esse, neque
 „ id dici licere. Mulier fit audiendi cupidior. Secretum rei et
 „ silentium deberi puer affirmans, animumque eius ad inquiren-
 „ dum everberat. Quaerit igitur compressius violentiusque.
 „ Tum puer, matre urgente, lepidi atque festivi mendacii consili-
 „ um capit. Actum in senatu dixit: utrum videtur utilius magis-
 „ que e re publica esse; unusne ut duas uxores haberet, an ut una
 „ apud duos nupta esset. Hoc illa ut audivit, animo compavescit:
 „ domo trepidans egreditur, ad ceteras matronas defert, quod au-
 „ dierat. Perveniant ad senatum postera die matrum familias ca-
 „ terva; lacrymantes atque obsecrantes orant, una potius ut duo-
 „ bus nupta fieret, quam ut uni duae. Senatores ingredienti-
 „ bus in curiam, quae illa mulierum intemperies, et quid sibi postulatio
 „ isthaec vellet, mirabantur. Puer Papyrius in medium curiae
 „ progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset,
 „ rem sicuti fuerat, denarrat. Senatus fidem atque ingenium pue-
 „ ri deosculatus consultum facit, uti posthac pueri cum patribus ne
 „ introeant, nisi ille unus Papyrius; eique puero postea cogno-
 „ nomen, honoris gratia, inditum Praetextatus, ob loquendi ta-
 „ cendique in aetate praetextata prudentiam. “

Haecce

Haecce virtus iuvenis ut ex opposito eo magis elucescat, subiungere liceat aliam historiolum, quam Schuppio ⁽¹⁾ debemus: „Novi, ait, virum gravem, eumque satis prudentem, tacendi vero facultate expertem. Quumque aliquando in senatu Principis negotium aliquod tractaretur, illo simul in consilium adscito, amicorum meorum quis me rogabat, expiscari studerem, quid in senatu agitatum fuerit? Ego, mecum, si placet, respondeo, abito, ad illum visitandum, et ipse tibi dicet. Pernosco enim virum, cacaturienti simillimum, nil sibi servare potest. Ista quum convenissemus, me statim manu prendens ad fenestram adduxit: Si quid secreti, ait, tecum habere poteris, tibi dicam, quid hodie in aula actitatum fuerit: Ego renuens respondeo: Tu, si tecum id habere nequeas, qui, quaeso, ego quirem? Nunc is vinum afferri curans, cyathisque uno alterove exhaustis, effutiebatur omnia, quae sciret, simillimus illi, qui, alvi ciendae gratia, medicamine usus est, iusculo assumpto calido, ad rem promovendam.“ Haec ille. Quin ego apponam illud Horatianum: ⁽²⁾

Faecundi calices, quem non fecere disertum?

4) *in auguriis.* Interferi hic posse censemus *verbum illud augurale, a silentio petitum*, quo silentium esse dicebatur, si augurium ex voto succederet. Id vero colligebatur ex gestu pastuque pullorum, qui, si e cavea mox proruerent cum impetu, certatimque in escam involarent, et avide depascerentur, ita, ut vescentibus illis aliquid

C 3

ex

⁽¹⁾ *in Tractat. qui inscribitur: Salomo, oder Regenten-Spiegel, im III. Capitel.* ⁽²⁾ *I. Epl. V, 19.*

ex ore relaberetur, et terram *paviret*, quod *tripudium* faceret *sollicitum*; *addicere* dicebantur, voce itidem augurali. Ita factum augurium, *silentium esse*, dicebatur: id vero, quae Ciceronis est interpretatio, *silentium* dicimus in auspiciis, *quod omni vitio caret*. Vitium autem, ait Turnebus, iis, quae auspicata sunt et augurata, opponitur, ut vitio creati magistratus sunt, qui creati sunt contra auspicia. At, his repertis, non possum, quin valde mirer, quod interpretes et antiquitatum explanatores, quotquot consulere licuit, non de dictionis ratione fuerint solliciti, *cur id, quod faustum in auguriis fiebat, silentium dictum sit*. Coniecturae itaque mihi locus datur, quam ex tacitis quasi vestigiis unius *Briffonii* facere tentabo: ⁽¹⁾ Sic enim ille: *Silentio surgere* cum dicitur, significat NON INTERPELLARI, quo minus rem gerat. Quum itaque mihi NON INTERPELLARI sit idem, ac inter augurandum nil observasse, quod negotium, cuius cura agitur, dissuaderet, silentium id esse dictum, mihi persuadeo, et ita infero: *Vbi nulla interpellatio, ibi silentium*.

5) liberorum murariorum Porro silentium, ex rationibus politicis enatum, esse quoque illud existimarim, quod, qui in societatem sub nomine *liberorum murariorum* coiere, sibi maxime proprium fecere, et, ut pertinaciter servetur, lege severissima se obstrinxere. Silentium hoc suspicione nunquam caruit, nec adhuc caret. Etiam si enim conflatis societatibus admodum inusitatum non sit, ea, quae pro finibus habent, silentio comprimere, non tamen unquam ulla societas in tam altum coniuravit silentium, atque haec. Iudicandi potestatem de hoc silentio mihi quidem non fumo: id vero negotii sibi dedit ex Theologorum ordine *Simonetti*

(1) *de formulis solenn. L. I. edit. Mogunt. 1649. p. 125.*

monetti ⁽¹⁾ sodales liberorum murariorum Berolini congregatos, scripto publico, compellans, liberiore ac argumentoso, modesto tamen usus dicendi genere, ideoque omnino dignus, qui audiatur. Ille vero suam de taciturnitate, huic sodalitati recepta, censuram §. XII. proposita quaestione hoc modo informat:

Societas, quae Jus Naturae pro fundamento suae unionis ponit, et felicitatem hominum pro fine sibi praefixo habet, potestne suam, quae ad hunc finem spectat, reticere institutionem?

Prolixior forem, quam par erat, si totum huc describere vellem paragraphum. Argumentorum nervum strictim hic indicasse sufficiet. *Societatem liberorum murariorum* quaestionem propositam dictis factisque affirmare, ait *Simonetti*, se vero negare, id fieri posse. Suae sententiae rationem esse hanc: Se primo non intelligere, quomodo quis ad finem possit perducere, subsidiis non indicatis. Ita vero argumentatur. Lex naturae me conservandae meae felicitatis capacem reddit. Ordo lib. mur. hoc assertit, subsidia in sua societate contineri, perhibet, et tamen ista reticet. *Hoc est finem velle, subsidia ferre nolle.*

Simonetti porro ex eo, quod ordo lib. mur. de legis naturae observatione tantopere gloriatur, ita concludit: Si quis se lege naturae regi patitur, proximo felicitatis consequendae viam modumque reticere non debet: *Ordo lib. mur.* gloriatur de institutis suis, ista niti humanitate, lege naturae, amore, et communionis desiderio, ea de causa, ut hominem redderet felicem: maximam tamen partem hominum, data opera, excludit, illi, sub praetextu mysteriorum, quod

(1) Sendschreiben an die Ehrwürdige Loge der Freymäurer in Berlin.
Gött. 1744.

quod promiferat, denegando, nec tales infelices manere curat. *Hoc vero si est secundum naturae legem agere, quid illam negligere sit, non video.*

Pergit *Simonetti*, syllogismo, quem dicunt, cornuto usus: *Homines ad societatem lib. mur. admissi vel felices fiunt, vel minus.* Prius asserit societas: posterius ego dicere non audeo, eorum instituti ignarus. Priori vero concessio non possum non ita argumentari: *Societas cuicunque viam felicitatis, in suis institutis reconditam, aperiat, necesse est; aliter, quomodo fieri debeant felices, non video: immo, aditus ad societatem patere debet cuiquam, ex iure communi naturae humanae, vel, si minus id fiat, ordo ex una parte diruit, quod ex altera exstruit, et ita cum genere humano non agit bona fide.*

Ad obiectionem a necessitate silentii, atque a damno garrulitatis petitam, si perpetuitatis et conservandi ordinis iusta debeat haberi ratio, respondet Simonetti: Minus commode hic opponi taciturnitatem et loquacitatem; nec de unius laude, nec de alterius vitio, disputari: *Concedit,* quosdam ordines atque status, quorum quippe fines non ad omnes homines pertineant, taciturnitate persistere, loquacitate prodi, inque periculum adduci. At vero longe aliud esse prudentem instituti boni expositionem, et turpem negotii proditorem. Nec deesse exempla societatum, potissimum inter eruditos, in flore optimo persistentium, quorum tamen instituta cuivis exponantur. Huic vero ordini lib. mur. taciturnitatem, quam fovent, tam profundam pro vitio impingi omnino posse, *instat Simonetti,* ex eorummet principiis, quibus sese inniti perhibent, iure quippe naturae, ingenuo amore hominum, et fine omnes reddendi felices, ad

ad modum, dictum finem obtinendi, taciturnitate scilicet, quae sibi invicem contrariari putat, concludendo. *Ideoque infert: A* fodalitate lib. mur. ex lege naturae, ex indole virtutis, et ex amore communi, ut et ex studio omnes homines reddendi felices, serio posse deposci instituti sui revelationem, idque tanto magis, quod occultatio et finem praetensum remoretur, et insuper suspicio firmetur, quod suae ipsius institutioni diffidant.

6) in actionibus civilibus. Quis denique sit silentii habitus ad *actiones hominum, ad ius civile spectantes*, quantique sit valoris, quidve iuris pariat, vel minus, scholis Jctorum relinquimus. Ex communiore notione censemus, id, quod expressum dicitur, semper praefendum esse tacito, et *ius ex silentio elicitedum* speciem magis, quam fundamentum, habere, et esse *ius varium potius*, s. consecutivum, si ita loqui liceat, *quam apertum*, uti Cicero loquitur, i. e. clarum atque indubium. Ideoque omnia, quae tacite facta esse dicuntur, valorem non tam ex lege, quam ex consuetudine et arbitrio iudicis acquirere, constat. Et quum *tacere sit medium inter consentire et reprobare*, uti Cardinalis loquitur, (in Clement. Saepe §. Si tamen. de verbor. sign.) non potest non parere ius dubium. Hinc taciti et expressi omnino diversa est ratio: effectus enim est, quod expressum certitudinem inferat, tacitum non ita: res vel cedat in damnum, vel in utilitatem.

Ideo in Pandectis de condit. et demonstrat. l. Nonnunquam 25. res ita exponitur: Nonnunquam contingit, ut quaedam nominatim expressa officiant, quamvis omissa tacite intelligi potuissent, nec essent obfutura. Inde dictum est: *Expressa nocent, non expressa non nocent.* Ceterum de *Jure silentii*, quamvis per totum ius diffusi,

D

nus-

nusquam expresse quid tradi, suo quidem tempore censuit *Morbosius*,⁽¹⁾ suaeque ipsius dissertationis de hoc argumento mentione facta, totum ipse tractatum promittit. Promissis an steterit, nescio: defectui autem posthac a JCtis satis esse factum, nullus dubito.

S E C T I O IV.

De Silentio sacro vel religioso.

SED haec mittamus, ad *silentium sacrum*, vel, si mavis, ecclesiasticum five *religiosum* progressuri.

Religio natura sua aliquid secum trahit reconditi, circa Deum, sensibus nostris non obvium, occupata. Institutum colendi Numinis, ejusque non conspicui, non potuit non parere meditationem, quae silentium amat. Quo enim profundior est meditatio in re sacra, tanto sedatiores sint motus animi, necesse est. Ne tamen meditationi nostrae nimium tribuamus, nec etiam sensibilem *θεοπρονοσίαν* exposcamus, sedulo cavendum est, ne vel in scyllam Molinosi incidamus, vel Enthusiastarum charybdi absorbeamur, utrisque videlicet in meditatione vel contemplatione adeo demersis, ut *sensum communem*, quin dicam *contemplationis rationalis facultatem* amitterent.

Verbis fidem facio ex ipsis eorum dictis scriptisque. Triplex itaque statuit silentium *Molinofus*, unum altero perfectius. „ Primum esse simplex silentium, quo quis a loquendo se cohibeat: id esse perfectum, quo perveniatur ad virtutem. Alterum esse silentium deside-
„ rii;

(1) in *Polyhist.* T. III. L. VI. Sect. 8. p. 594.

„ rii; idque priori perfectius, quo perveniatur ad quietem. Tertium
 „ esse silentium cogitationum, idque perfectissimum, quo perveni-
 „ atur ad facultatem introeundi in semetipsum. Non loquendo,
 „ non desiderando, non cogitando pervenitur ad verum et perfe-
 „ ctum silentium mysticum, in quo Deus loquitur cum anima,
 „ ipsi se communicat, eamque docet, in maxime intimo fundo
 „ suo, perfectissimam, maximeque sublimem sapientiam. Per-
 „ git: Conquiesce in mystico hoc silentio, et aperi portam, ut
 „ Deus se tibi communicet, tecum se uniat, teque in se transfor-
 „ met.“⁽¹⁾ Eo quoque insaniae progressus est iam olim is, qui
 sub nomine *Hermetis Trismegisti* prodiit, in *Poemandro* suo ita scri-
 bens: Η γὰρ γνῶσις αὐτῆ (τῆ θεῶ) κ̅ θεία σιωπή ἐστὶ, κ̅ καταργία
 πασῶν τῶν αἰσθήσεων. Cognitio Dei et divinum silentium est, et
 omnium sensuum abrogatio.⁽²⁾ Eandem viam ingressos esse Val.

D 2

Wei-

(1) *Conf. Molinosi manuductio spiritualis, p. 146. 148.*

(2) *Non possum, quin miram huius loci indicem discrepantiam, in di-
 versis libri Hermetis, quem ΠΟΙΜΑΝΔΕΡ s. de potestate et sapien-
 tia divina, inscripsit, editionibus, vel textum graecum, vel inter-
 pretationem latinam respicias. Textum graecum quem allegavi ex
 editione non multum obvia, Parisiis 1554. parata, pro genuino, cre-
 do, quivis agnoscat: quid vero sentiet lector de interpretatione lati-
 na a Marsilio Ficino subiuncta, quae ita fuit: Eius cognitio divi-
 num silentium est, et intenta omnium sensuum APPLICATIONE.
 ΚΑΤΑΡΓΙΑ autem nonne a καταργέω, inefficacem reddo, cesso ab
 opere, vel aboleo, significat ABOLITIONEM, applicationi plane op-
 positam? Contra, alia editio, Colon. Agripp. 1630. cum interpreta-
 tione latina Franc. Flussatis Cadallae, in textu graeco habet, loco vo-
 cis καταργία, ΚΑΤΑΡΤΙΑ, quod verbale a καταρτίζω perficio,
 concinne apto, derivandum esset, et significatum APPLICATIONIS*

NIS

Weigelium, Dav. Georgium, Jac. Boehmium, Chr. Hoburgium, Jo. Labadie, Ge. Foxum, Quakerorum patrem, item ex femellis, Cath. Senensem, Mariam Escobariensem, Ant. Burigniam cet. alii solide demonstrarunt, mihi que fecerunt otium. Horum omnium ingenia finxiffe Philosophiam Platonis, foecundissimam matrem omnium eorum, quos fanaticus invasit spiritus, et adhuc occupat, tum inter gentiles, tum inter Christianos, hic evincere superfedeo, hoc iam negotio abunde defunctis *Colbergio*, ⁽¹⁾ *Micraelio*, ⁽²⁾ aliisque, qui vel in vitis describendis, vel in adornanda ecclesiae historia operam collocarunt.

Quid quantumque ergo lolii, inter silentia, progerminarit, satis constat superque, et, *si in sacris supra modum celebretur silentium*, impediri nequit, quin *ignorantia* et *superstitio* ex eo emergant, Hinc de vanitate et sceleribus impiarum religionum differens *Laetantius* ita scribit: Sed merito non audent quicquam de rebus docere divinis, ne et a nostris derideantur, et a suis deserantur. Nam forte vulgus, cui simplex incorruptumque iudicium est, si mysteria
illa

NIS admitteret; et tamen latina interpretatio Cadallae ita se habet: Eius namquae cognitio et speculatio silentium est, et omnium sensuum ABROGATIO. Videt itaque eruditus lector, utrosque interpretes admisisse errorem, qui in collatione textus et versionis manifestam parit contradictionem. Ego vero veritatem ad mentem Trismegisti, et ex eius hypothese, metiens graecum textum Ficini, et latinam interpretationem Cadallae, iungenda existimo. Καταργία enim menti auctoris, puta Trismegisti, prorsus repugnat. Interim Lexica neutrum horum verbalium, nec καταργία, nec καταργία habent.

(¹) im Platonisch-Hermetischen Christenthum, II. Th. 4. Cap.

(²) in Hist. Eccl. cura Dan. Hartnaccii.

illa cognoscat in memoriam mortuorum constituta, damnabit, aliudque verius, quod colat, quaeret. *Hinc fida silentia sacris instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus, quid colat.* ⁽¹⁾

Hanc quoque esse causam, opinor, missae inter Christianos, in-temeratae veritati addictos, disciplinae arcani s. *μυσεριονρυψιας*, quae *sacrum* dicitur *silentium*, seculis quarto et quinto perquam sollicitè observatum. Historiam huius rei, quod ad gentiles potissimum pertinet, nexuit, idoneisque testimoniis firmavit *Pfammerus* in *Syst. Theol. gentilis purioris* c. I. §. VII. sq. p. 19. Ad Christianos quomodo transierit e *Calvoero*, ⁽²⁾ et, quae eius apud hos habita fuerit ratio, et, quomodo ab abusu Pontificorum vindicanda sit, a *Binghamo* ⁽³⁾ edocemur.

Morem hunc a gentilibus ad Christi cultores transiisse, ne quem offendat, memorem eum esse velim dicti: *Vnius rei plures posse esse causas.* Longe enim diversa occultationis utriusque partis erat ratio. Apud gentiles, ut Numinibus suis, eorumque cultui, ignorantia vulgi, uti *Lactantius* aiebat, reverentiam conciliarent: apud Christianos, ne veritates sanctissimas, rationis captum superantes, hominum mundanorum contemptui exponerent.

Tres igitur fuisse causas, ex Gregor. Nazianzeno memorat *Calvoer* citato loco. *Prima* erat sublimitas doctrinae, ideoque Catechumenorum captui nondum commoda: *Altera*, ut hoc silentio

D 3

cu-

⁽¹⁾ *Lactantius* L. V. div. institut. c. 20.

⁽²⁾ in *Rituali Ecclesiast.* P. I. L. II. Sect. 2. c. 60.

⁽³⁾ in *Originibus s. Antiquitatibus Eccles.* Vol. IV. l. X. c. 5. §. 3. ff. p. 123. edit. *Grischovii.*

cupiditas sciendi in iunioribus accenderetur: *Tertia*, ut a contemptu hostium res sacrae vindicarentur. Interim, si dicamus, quod res est, non institutionis divinae haec erat disciplina, quam potius humanae prudentiae, ecclesiae tam diu usui, dum necessitas exposcebat, doctrinas veritatesque divinas, tanquam rem pretiosam, concedere, ne impuris adversariorum manibus contaminarentur, quod recte nititur mandato Christi: Ne date, quod sanctum est, canibus, nec proiicite margaritas vestras coram porcis, nequando conculcent eas pedibus suis, et conversi lacerent vos. Matth. VII, 6.

Negari tamen nequit, praedicationem veritatibus divinis semper esse magis convenientem, quam reticentiam.

Non possumus non hic esse memores mandati, quo suos instruxit legatos optimus servator: Quod, inquit, dico vobis in tenebris, dicite in luce, et quod in aurem auditis, praedicate supra domos. Matth. X, 27. Tantum itaque abest, ut ecclesiae, puriorem doctrinam amplexanti, ex eo labes adspergi queat, quod in ea *disciplina arcani* sensim in desuetudinem venerit, et tandem prorsus exspirarit, ut potius maior exinde felicitatis gradus cognosci debeat. Quo sol magis exoritur, radiisque suis et abditissimos pervadit recessus; tanto dies est clarior laetiorque: Sic et quo magis prodit in publicum divina veritas; tanto magis laetari debet coetus veritatis amans de discussis tenebris, fractisque inimicorum repagulis. Hanc laetio rem ecclesiae novi foederis conditionem ita apud Iesaiam descriptam legimus: Super muros tuos, o Hierosolyma, (sunt verba Messiae) constitui custodes: per totum diem, totamque noctem continuam, non filebunt; quos itaque coetus veritatis cupidus, dulcissima hac promissione illectus, sollicitat: O vos,

VOS,

vos, quibus incumbit commemorare Jehovam, *ne sit vobis silentium*. Jes. LXII, 6. Gravis hic succurrit vox Bernhardi: Certe, inquietis, speculatores in populo Dei in magno, non tantum periculo, sed et exitio, constituti sunt, *si tacuerint, ubi loqui fas fuit*, cum silentium ipsorum aliis in damnum, ipsis in damnationem cefurum fit.

Quae vero adhuc est, et semper esse debet, docentium in ecclesiis prudentia, in eo consistit, ut iusta observetur dispensatio inter *lac* et *escam*, vel cibum solidiorem: illo, infantibus s. elementariis apto; hac vero iis, qui sensus habent exercitatos, ad discretionem boni et mali, conveniente et salutari.

SECTIO V.

De Silentio divino.

NVNC tandem deveniamus ad *silentium divinum*, nostra meditatione quam dignissimum.

Passim eius fit mentio in sacro codice, vel Deo tributum, vel ab ipso Deo sibi assertum, legitur. In utroque sensu per *ἀνθρώπων πρὸς θεῶν* exponendum esse, me monitore haud opus est: quis videlicet sit summi Numinis erga homines affectus, illo ipso indicatur. Silentium Dei et ad bonos, et ad malos, se habet, effectu tamen diversissimo, prout quaeque pars eo utitur. Silentium diuinum est res maximi ponderis.

1) Silentium Est *piss* grave et triste, salutare tamen ex mente div. quod ad pios. Dei. Est enim signum absconsionis, et auxilii, sola-

solatii et beneficiorum interdum, quod ad tempus et modum spectat, recusatio, certe dilatio. In eiusmodi afflictionis ac tentationis statu ne curis lique scat aerumnisque, ne malorum procellis agitato despondeat animum; sed in spe et silentio auxilium Dei operiatur, ac divinis promissionibus inhaereat, pium probumque decet Dei cultorem. Exemplo nobis sunt Jobus, Davides et ecclesia subinde sub aestu tentationum sitiens. Hinc assiduae preces piorum, *ne Deus fileat*. Pf. XXVIII, 1. XXXV, 22. XXXIX, 13. LXXXIII, 2. Jes. LXIV, 12. Hab. I, 13.

Cum vero Deus dat aurem precibus, auxilium praestat, mentes solamine perfundit, donaque petita elargitur; tum Deus *non filere* dicitur, de quo Davides laetatur: Deus, inquit, manifeste veniet, Deus noster, *et non filebit*. Pf. L, 3.

2) Silentium Quomodo se ad *impios* habeat silentium *div. quod ad impios.* num, nunc dispiciendum. Gratum illis est silentium Dei, quoniam, Deum ad eorum facta non animadvertere, securius sibi persuadent. Fit autem ipsis, ex hoc sensu, qui homini natura inest, corrupto, silentium Dei, ipsorummet culpa, tanto periculosius.

Est vero ex mente optimi Numinis longanimitatis indicium, qua vindictam super hominum delicta ad tempus differt, et quam aegre irascatur commonstrat, ac mitissima voluntate ad bonam frugem pertinaces invitat: quam bonitatis abundantiam si spernant securi, sui perditionem tanto sibi certius accersunt, iram Dei in die iudicii atque extremae ultionis tanto magis sibi adaugentes.

Hoc vero ut, pro bonitate sua, Deus avertat exitium, se quidem filere ad impiorum facta; sed ea se non probare, graviter com-

com-

commonet; Ps. L, 21. se quidem ad tempus tacere, seque quasi cohibere ab immiffione vindictae promeritae; sed se vociferaturum esse, defolaturum et perditurum, comminatur; Jes. XLII, 14. non fore, ait, ut semper conniveat filendo, ubi omnem videat impios exuisse timorem. c. LVII, II.

Cum vero Deus, miserando fessus, poenas infligit, tum *non filere* dicitur, sed manu vindice retribuere ac perdere. Jes. LXV, 6.

Appositissime id idem monuit Valerius Maximus: ⁽¹⁾ Lento, in-
quiens, gradu ad vindictam sui divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat.

* * *

SED sic fatis DE SILENTIO dictum esse credimus. Ne vero et nos filuisse magis, quam, quod ad rem pertinebat, dixisse videamur, nunc subiungenda restant vota, quae favor, muneris vinculum, amicitia et pietas a nobis exposcunt.

TV, VIR MAXIME REVERENDE, COLLEGA
CONIUNCTISSIME ATQUE SENEX PERQVAM
VENERABILIS, IPSE experiris, quod quondam

E

exi-

(¹) *Factorum ac dictor. memorab. L. I. c. 2.*

eximia fandi virtute vocisque vigore dixisti, egregia quippe dona, quae oratorem sacrum et ornant, et utilem reddunt, etiam vanitati esse obnoxia. Digna sunt verba TVA, quae et hic denuo repetantur: Unter die äußerlichen guten Gaben eines Predigers gehöret auch eine deutliche, starke und vernehmliche Aussprache, sonderlich in grossen Kirchen und zahlreichen Gemeinden. Aber wie bald kan ein Prediger dieselbe verlihren? Nehmen die Kräfte des Leibes ab, und die Jahre zu, so nimmt auch die Kraft stark zu reden ab. Die Stimme der Müllerin wird leise. Eccl. XII, 4. ⁽¹⁾ Haec etenim est ea debilitas, quae, praeter alia senectutis incommoda et corporis infirmitates, TE impedit, quo minus Ipse possis pro concione stare, animique erga Deum gratissimi sensa exponere. Ast hoc TIBI sit pro solatio, quod, quamvis cum ho-

mini-

(¹) Woogs Betrachtungen über die Eitelkeit aller irdischen Dinge, p. 158.

minibus publice loqui non queas, cum Deo tamen
 domi colloqui, viribus animi non careas. Quid?
 quod, imbecillis quoque vox Deo fidentium, et in
 spiritu et veritate Patrem adorantium est clamor in
 auribus eius validissimus. Ipse etenim dixit: *In si-*
lentio et spe erit fortitudo vestra. Jes. XXX, 15. Hoc
 divino oraculo nostra contineantur vota: Omnis
 animi fortitudo TIBI paretur silentio, cum spe con-
 iuncto. Silentium haud infima virtus, in colendo
 Deo TIBI magis magisque conciliet Deum, eum-
 que gratiose ad TE *loquentem*, in solitudine TE *con-*
solantem, in angustiis *salutantem*, inter dolores
 auxilium TIBI *spondentem*, inter insomnia pias me-
 ditationes *suggerentem*, et ad preces benigne *re-*
spondentem. Verbo: *Nunquam Deus TIBI fileat!*

Tvo autem silentio uti Deo gratus fueris: ita
 et eodem TVIS, et ecclesiae, et nobis, utilis
 E 2 fias,

fias, et rogamus, et confidimus. Id fiet, si, quod palam facere prohiberis, clam feceris, in conclavi TVO supplicaturus pro re *domestica, civili et sacra*. In eo laudabiliter imitaberis morem antiquum sacerdotis, qui peragebat *εὐχὴν διὰ σιωπῆς, precationem cum silentio:*⁽¹⁾ ad quam negotiosam in otio occupationem ut Deus ex voto respondeat, omnium nostrum desiderium est et expectatio.

⁽¹⁾ vid. de eo Binghami *Origines* Vol. VI. L. XV. c. 1. p. 230. ff.



coll. diss. A. 43, misc. 61